DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO CHIRVRGICA DE *VVLNERIBVS SCLOPETARIIS CVM ADIVNCTA OBSERVATIONE*

QVAM
PRO OBTINENDO GRADV, HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRVRGIAE
INCLYTAE FACVLTATI MEDICAE
IN ACADEMIA REGIOMONTANA
OBTVLIT

IOANNES CAROLVS DORNDORFF
CIVITATIS RIGENSIS CHIRVRGVS PRIMARIVS.

MENSE MARTII DCCXCVII.

REGIOMONTI
TYPIS G. L. HARTVNGI, TYPO REG. ET ACADEM.

VIRO PERILLVSTRI

EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO

ADAMO HENRICO DE SCHWARTZ

A CONSILIIS AVLICIS IMPERII ROSSICI, CIVITATIS RIGENSIS CONSVLI PRIMARIO

VT ET

VIRO NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO

ALEXANDRO GOTTSCHALK SENGBVSCH

COLLEGII SVPREMI IMPERII ROSSICI ASSESSORI, CIVITATIS RIGENSIS ANTISTITI ET CONSVLI.

PATRONIS SVIS ET FAVTORIBVS

PIA MENTE

COLENDIS

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM

DEDICAT

AVTOR.

Accipite Viri Amplissimi, *serena fronte has pagellas, quas* Vestris *sub auspiciis in lucem prodire volui. Postquam scilicet artis Medicae et Chirurgiae praecepta Berolini hauseram, inque patriam redux fueram,* Vos Vestro *fauore me dignati et amplexi estis.* Vobis *debeo et vitae, qua fruor, beatae emolumenta et aestumationis publicae testimonia, quae a conciuibus meis a tredecim abhinc annis mihi collata fuerunt.*

Vt igitur vtilitati publicae magis etiam inservirem, ambire decreui Doctoris Medicinae et Chi-

rurgiae

rurgiae gradum, quem mihi gratiose conferre dignata est inclyta Facultas Medica, quae Regiomonti floret. Sinite, Viri Amplissimi, *vt hac dignitate ornatus* Vos *iterum accedam, vobisque et vota mea ardentissima pro longaeua* Vestra *incolumitate offeram et officia mea in promouendo commodo conciuium meorum de nouo obstringam.*

Tantorum nominum

deuotissimus Cultor

Ioh. Carol. Dorndorff.

De vulneribus ſclopetariis commentatio.

§. 1.

Quid ſit vulnus ſclopetarium.

Quae laeſiones corpori humano corporibus plerumque obtuſis ex tormentis ſiue ſclopetis, vt aiunt, magna vi profectis inferuntur, ea *vulnera* nuncupantur *ſclopetaria*. Quae vt vere talia ſint, oportet vt contactus inter globum ſiue glandem exploſam et corporis aliquam partem locum habuerit. Haud enim nobis probatur ſententia eorum, qui laeſiones huius generis grauiores ex ſolo aëre vehementer commoto ſine contactu (*Luftſtreifſchüſze* vocant) oriri poſſe contendunt; quorum virorum argumenta exploſa ſunt a Cl. Le Vacher (*Mem. de l'acad. de Chir.* Tom. IV. 1768.), a Cl. Mvrsinna (*Med. chir. Beob.* Obſ. 20. et 21.) et a Bellii interprete (vid. *Lehrbuch der W. AK.* Th. IV. Edit. 2. not. ad §. 217.)

Quae autem vulgo ex tormentis ſiue ſclopetis exploduntur, grandines ſunt plumbeae (Schroot) ſiue glandes ex plumbo aut ferro confectae, ſiue plumbum comminutum ſiue fruſtula mettallica, aliaque; quaeque his infliguntur, laeſiones ſecundum vehementiae varios gradus quadrifariam diuidi poſſunt. Quae minori vi in corpus noſtrum feruntur, glandes contuſionem quidem, non tamen ſolutionem continui relinquunt. Quod ſi maior eſt vehementia, qua impingunt, in partem ipſam penetrant, ibique conduntur ita, vt canalis ſiue fiſtula ad fundum vsque vbi glans haeret, pergat. Saepenumero tanta eſt glandis vis et velocitas vt partem perforet, et binas vulnus aperturas habeat, ex introitu et exitu glandis obortas,

tas, laceratis ſaepe ſimul tendinibus et fractis oſſibus. Neque difficile eſt, vulnus ab irruente glande ortum ab eo diſtinguere, quod ab exeunte factum eſt; illud enim anguſtius, depreſſius et magis colliſum eſſe ſolet, hoc margines habet elatos et diductos. Tandem etiam globis ex tormento profectis integra membra abripiuntur, quae laeſiones quartum genus vulnerum ex ſclopetis profectorum conſtituunt.

§. 2.

Horum ſequelae.

Quae ex vulneribus ſclopetariis oriuntur ſequelae variae et ſaepiſſime valde complicatae ſunt. Leuiori gradu partes contunduntur, fibrae muſculares vaſa et nerui expanduntur, relaxantur; grauiori autem vulneris ſtatu partes molles dilacerantur oſſaque franguntur, quo fit, vt partes laeſae vi vitali ac elaſticitate ſua orbatae in ſuccos reagere deſinant; vnde humorum congeſtiones, tumores, inflammationes, ſuppurationes lentae, haud raro denique gangraena. Externa vulneris ſuperficies ſemper cruſta quadam ſicca, magis minusque dura tecta inuenitur, quae ex contuſis emortuisque fibris muſcularibus enaſcitur. Haec vaſorum ora praecludit, quo fit, vt ab initio ex vulneribus ſclopetariis nullus vel paucus ſanguis emanet, niſi maiora vaſa rupta ſint. Periculoſae haemorrhagiae metus tamen non plane euaneſcit, cum ſaepenumero poſt aliquot dies cruſta illa, vel ſuppuratione aucta, vel nimio partis laeſae motu vel etiam quandoque rudiori manu chirurgica abripiatur, ſanguisque tunc magno impetu efferatur.

In vulneribus ſclopetariis penetrantibus aliena corpora non inveniuntur, ſi nuda corporis pars laeſa eſt; alias autem non ſolae glandes irrumpunt, ſed et veſtium laciniae, clauae, nummi aliaque corpora ſimul in vulnera demerguntur, vehementem inflammationem, ſymptomataque ſpasmodica periculoſa haud raro mouent: et id quidem eo valentius, quo maiora et inaequalia ſunt iſta corpora, quo grauius partes afficiunt. Partes praeterea magna qua irruunt glandes violentia vehementius commouentur; quae commotio per

totum

totum corpus propagatur; vnde ſymptomatibus grauiſſimis et valde periculoſis aeger vexatur, cerebri ſc. et medullae ſpinalis commotione, ſtupore, paralyſi, ſanguinis nimia profuſione, inflammatione, ſuppuratione, animi deliquiis, doloribus vehementiſſimis, nervornm diſtenſionibus aliisque Grauiora autem enaſcuntur ſymptomata ex ipſa horum viſcerum laeſione, et inter grauiſſimas laeſiones viſcerum vulnera ſclopetaria referri debent,*) licet exempla afferant autores ſide digniſſimi, vulnerum huius generis feliciter ſanatorum qualia habent Delattre (*Iournal de Medicine, chirurgie et Pharmacie par M.* Rovx, T. XXXII. 1770.) Sannie (*Abhandl. aus der Naturgeſch. d. pract. Arzneywiſſ. etc. in den Schriften der Haarlemmer u. and. holl. Geſellſchaft.* B. 1. 1775.) Sponitzer (*vermiſchte chirurgiſche Schriften von* Schmvcker B 1. 1776.) Voelker (eiusdem operis Tom II.) Papendick (eiusdem operis T. III. 1782.) Fielitz (*Beobacht. in den Beytraegen zur chir. Bibl.* B. 8. St. 3. des Herrn Hofr Richter) Rigby (*Medic. Communic.* Vol. II. 1790.) Mvrsinna (*neue Med. chir. Beobacht.* 10te u. 26te Beobacht.)

Sed omnium, quae vulneribus his ſuperueniunt ſymptomatum vulgatiſſimum eſt inflammatio, quae quo valentius urget, eo maior lentae ſuppurationis atque gangraenae metus eſt. Huius inflammationis cauſae vel idiopathicae vel deuteropathicae ſunt: Plerumque nimirum corpora irritantia vulneri inhaerent, ibique inflammationem excitant; non raro autem cauſſae phlegmones longo alio loco haerent et ex conſenſu agunt, inter quas praecipue primarum viarum ſordes iure referri debent: perturbatio autem animi atque timor, diaeta irregularis, membrique laeſi nimia commotio non parum ad inflammationem augendam conferunt.

Quod autem ex ſuppuratione nimis aucta naſcitur periculum non leuioris eſſe momenti, chirurgi bene norunt. Symptomata autem ex hac ſuppuratione oriunda eo magis ſunt timenda, quando vulnus maiori gaudet ambitu, plures glandes vulneri inhaerent, oſſa, aliena corpora

*) Ipſe hepatis vulnus ſclopetarium obſeruaui, ſexto die lethale.

pora glandesque adeo profunde impacta ſunt vt vix eliminari poſſint. Saepenumero etiam accidit, vt pus in tunica celluloſa inter muſculos, oſſa, aliasque partes ſibi viram paret, colectumque ſtagnet in locis recluſis, ex quibus niſi emittatur, pus corrumpitur; quo reſorbto febres lentae facillime oriuntur. Haud minus autem metuendae ſunt puris metaſtaſes ad nobiliores corporis partes, v. c. ad cerebrum, pulmones, viſcera abdominalia; vnde apoplexia, epilepſia, paralyſis, peripneumonia, phthyſis pulmonalis, hepatica, lienalis, renalis, aliique morbi vel ſubito vel lente lethales.

Periculi autem maximus adeſt gradus quando vulnus gangraena periclitatur; Saepenumero enim partes laeſae celerrime absque vlla inflammatione eudienti praegreſſa infeſtantur gangrena, cuius cauſſa hoc in caſu eſt nimia commotio et organiſatio partis laeſae perturbata. Eam praenunciant inſenſibilitas, grauitas, tenſio partisque frigus; mox autem pars atrum plumbeumque colorem induit, eiusque inſenſibilitas et frigus augetur; epidermis denique in veſiculas effertur partesque durae molleſcunt. Alio etiam modo gangraena naſcitur ex inflammationis nimia vehementia; omnia ergo quae phlegmones gradum augent, gangraenae cauſae eſſe poſſunt, quae ſi remouet chirurgus periculum minuitur. Saepius autem cauſae inflammationis vehementioris pertinacius haerent, quales ſunt humorum acrimonia, aeris deprauatio aliique huius generis ſtimuli. Non raro etiam inflammationis exitus in gangraenam promouetur a chirurgo quaſi medente, v. c. aquae ſclopetariae valde ſtimulantis ope, faſcia iuſto firmius adſtricta etc. Lente denique durante ſuppuratione ex puris malignioris reſorbtione, virium debilitate, humorum diſſolutione oritur gangraena omnium periculoſiſſima.

§. 3.

Vulnerum ſclopetariorum curatio.

Sclopetariorum vulnerum medela ab ea methodo qua reliquae vulnerum ſpecies tractantur valde differt: cuius rei ratio ſatis euidens eſt; vulnera enim ſclopetaria plerumque aliena continent corpora, cruſta obducta ſunt, humores in partibus laeſis accumulantur, ſtagnant, magnaque denique membrum afficitur commotione.

Non

Non raro glans ſuperficiem corporis leuiter attingit, fibrasque expandit, debilitat. Eadem hic adhibenda eſt methodus, qua curantur reliquae contuſiones. Quodſi autem ad interiora penetrauit glans, ibique haeret, ſtatim proſpiciendum eſt, vt glans, oſſa fracta, aliaque corpora aliena, quae vulneri illata ſunt detegantur atque excutiantur. Obſtant autem ſaepenumero huic negotio aperturae vulneris anguſtia, corporisque illati magnitudo; Iuuat ergo hoc in caſu vulnus dilatari; quo facto corpora, quae ei inhaerent facilius eliminantur. Praeſtat vero, citius amplietur vulnus, ſi fieri poteſt ſtatim poſt factam laeſionem, quo tempore vulneris intumeſcentia leuior, eiusque ſenſibilitas diminuta, nec aeger debilitatus eſſe ſolet. Neglecta autem matura vulneris ſectione, ea ſerius et ipſo durante ſtadio inflammatorio inſtituenda eſt. (vid. MVRSINNA. *Neue med. chir. Beobacht.* — BELL'S *Lehrbegriff der WundAK.* 5 Th. 1790. *Die Zuſaetze zu den Schuſzwunden*) Neque haec ſola vtilitas eſt inciſionum in his vulneribus: conferunt enim etiam ad diſcutiendam inflammationem, praeprimis ſi vaſorum ora cruſta praecluduntur et ſanguinis parum fluxit.

Quoda d inciſionum regulas attinet, pauca hic monuiſſe ſufficiet. Vbi ſcilicet glans ſub integumentis communibus viam ſuam ſibi parauit, optimum eſt in hanc ſpecillum vel digitum dimitti, ſupraque canalem incidi. Quodſi autem vulnus profundius intra Membrum feratur, ex Cel. THEDENII conſilio (*Bemerk.* Th. 1.) duplex inciſio ex oppoſita directione inſtituenda eſt, quae formam litterae V aemuletur. Vbi tamem glans in parte oppoſita ſub cute haeret, expeditiſſimum eſt, ea parte incidere et noua hac apertura corpus alienum extrahere. Sub hac autem ſectione cura habenda eſt, ne nerui, arteriae venaeque maiores laedantur. Tendines tamen ſi neceſſarium eſſe autumat Chirurgus, diſſecari poſſunt: Aponeuroſes autem v. c. faſcia lata maiorem deſiderant inciſionem, ne tumidorum muſculorum actionem impepiant, nec puris effluxum inhibere poſſint. Perioſteum ſi contuſum eſt, etiam incidatur. Muſculi quantum fieri poteſt transuerſim non ſunt incidendi. Cl. BILGVER (*pract. Anweiſung für Feldwundaerzte* 1783) tamen glutaeos, gaſtrocnemios et Deltoidaeum transuerſa ſectione diuidere ſuadet, cum eos ſic facilius ſanari obſeruauerit: Vulnere hunc ampliato neceſſe eſt, vt corporum ſitus et indoles dele-

 gatur,

gatur, idque siue digito siue specillis idoneis; qualia sunt, quae Cel. MVRSINNA (*Neue Beobacht.*) commendat. Si forcipes ad extrahendas glandes plumbeas adhibentur, cura habenda est ne partes corporis molles, musculosae, neruosae simul aripiantur. Ossium fractorum fragmenta nisi ab osse in totum abscesserint, aliqua saltem parte firmius inherentia non extrahenda sed in suas sedes reponenda sunt. Si squamosis partibus concludatur glans, specillo, quod extremitate latiori gaudet, facile eiicitur. Non raro autem glandes ossium fragmentis inhaerent, quae siue soluenda, siue terebra perforante diducenda sunt.

Interdum etiam inter duo ossa comprehenditur glans ex quibus angustiis adhibito vnco facile eximitur. Ille autem membri motus operationi huic fauet, quo ossa glandem continentia diducuntur e. g. si quando inter lumbalium vertebrarum processus spinosos haeret glans facilius eximitur aegroti corpore antrorsum reclinato; inter radicem et vlnam impacta glans optime durante manus supinatione exitum sortitur. Saepius accuratissima licet inquisitione glans tamen non detegitur, quae nisi sympotomata producat valde vrgentia intra corpus relinquenda est. Extrahere etiam glandem nequis, si magnis corporis cauitatibus inhaeret, nisi aegrotum magno periculo exponere velis, vt testatur Cl. MAIAVLTS (*Iournal de Med.* T. XLI.) et CAMPERDON (*Iournal.* T. L.). Interdum etiam glans per totam vitam absque vllo periculo corpori inhaeret et alio loco remotiori deponitur. Sclopetaria etiam vulnera penetrantia incidenda sunt, cum saepius duarum prior parte aduersa exiit, posterior autem remansit: sic et ossium fragmenta, vel ruptis vasis ligatura tales incisiones disiderant.

Caute tamen nec in omnibus vulneribus sclopetariis incisiones instituendas esse, perbene docuit Exper. THEDEN (*Bemerk.* 3 Th. 1795. Cap. 24.) Raro etiam in Nosocomio Parisiensi (*Hotel-Dieu* vocant) haec vulnera ope incisionum curantur (*Iournal de Chirurgie par Mr. Desault.* Tom. III. 1792.)

Remotis Corporibus alienis apertura vulneris purganda, vulnus ipsum linteis carptis explendum et membrum libere inuoluendum est.

Illi-

Illinenda ſunt lintea vnguento, vel methodo THEDENII oleo oliuarum vitello ouorum mixto. Si autem membrum colliſione atque contuſione valde affectum eſt, mixtione duarum partium aquae, vniusque partis aceti et Spiritus camphorati mixtione, vel aqua ſclopetaria THEDENII, vel aqua acetoſa cum ſale ammoniaco mixta humectantur faſciae. Emollientium vſum tamen non plane ſpernendum eſſe cenſeo, laeſione praeprimis magna, vehementis inflammationis cauſſa. Eorum etiam ad vulnera ſclopetaria applicationem commendant Cel. BELL et MVRSINNA; damnatur a Cel. THEDEN.

Neutiquam autem probare poſſum conſilium Cli. BELL, qui ſuadet, vt per vulnera penetrantia, abſoluta reſolutione, ſetaceum trahatur; cum partes laeſae ſic irritentur, nouaeque inflammationis cauſſae ſuboriantur.

Ad felicem promptamque curationem haud parum confert, ſi membrum vulneratum in commodo ſitu ſeruatur, quorum optimus ille eſt, quo aeger quam maxime doloribus liber eſt, nec pus ex vulnere effluere impediatur. Vulnus hac medendi methodo tractatum, bonum pus fundens, vti ſaneſcere incipit, faſciis ſiccioribus ſtrictius adactis nunc paulatim deligandum eſt. Nihil autem ſanationem magis impedit, quam vulneris expletio nimia, nec non ſi in emollientium et digeſtiuorum vſu iuſto longius continuatur.

Medendi methodus nunc deſcripta non ſemper tamen ſufficit. Quando nempe glandis ictu totum perfrangitur os, fragmenta oſſis colliſi plura ſunt, articuli laeduntur, neruorum vaſoramque trunci lacerantur, raro membrum ſervari poteſt. Amputatio tunc celeriter eſt inſtituenda. Indicationum, quibus membri praeciſio iubetur, regulae in genere determinari hic non poſſunt; res circumſtantes, laeſionis magnitudo corporis conſtitutio, omnem rei cardinem abſoluunt. Vbi maioris globi (*Kanonenkugel*) ictu membrum percuſſum eſt, quod fractum eſt os non praecidatur, ſed in oſſe ſano ſupra articulum amputatio inſtituenda eſt, vt docet MARTINI (*Memoire de l'acad. Royal de Chirurgie.* T. IV.) LE DRAN (*Abhandl. von d. Cur d. Schuſzwunden* 1796.) BELL (*Syſtem of Surgery.* Vol. 17. 1788.

 Caput

Caput de amputatine agens.). Maiorum vulnerum sclopetariorum, quae bene tamen sanata sunt exempla extant haud pauca; nonnulla allegare licet; vid. scilicet VOGEL (Dissert. inauguralis 1771.) CARLIER (*Iournal de Med.* 1775. T. XLIII.) SEELIGER, (SCHMUCKERS *vermischte Schriften*, 3. B. 1782.) IAEGER, *Funfzig chir. cautelen*) GOURDEIL (*Histoire et Memoire de l'academie des sciences de Toulouse*, T. II. 1784.) BOURDIN *Iournal de Chirurgie par* M. DESAULT, T. III. 1792.)

§. III.

Cura symptomatica.

Inflammatio vulnerum comes fere perpetuus, methodo, vt mos est, antiphlogistica optime discuti solet. Venaesectio ergo protinus instituenda est, quae quamdiu pulsus durus, plenus manet, repetatur. Quando autem sanguinis, nimia profusio ex membro vulnerato praegressa est, topicae solummodo instituantur euacuationes v. c. hirudines parti vulneratae applicentur, quibus sanguinis congestiones locales praecauentur. Exhibentur potiones salinae ex Nitro vel Sale ammoniaco, lenia laxantia ex cremore tartori, Sale mirabili Glauberi, pulpa Tamarindorum, Manna aliisque. Membro vulnerato autem superhabentur fomentationes ex aqua acetoque, siue aqua vegeto minerali. Quodsi autem horum vsu inflammatio decrescit, fomentationibus vtendum est emollientibus ex decoctis chamomillae, hyosciami, Seminis Lini, florum Sambuci; cataplasmate ex mica panis lacte vel aqua mixta etc. Omnia autem haec medicamenta, quae vulneribus imponi solent antea calefacianda sunt. Caussae per consensum irritantes simul remoueantur, sordes biliosae euacuentur, fasciae iusto firmius adstrictae soluantur, spirituosa inhibeantur etc.

Inter symptomata omnium maxime necessaria suppuratio referenda est, quae tamen non semper modica nec vbique bonae indolis est, Nociuum autem est si omnis inflammatio, quae ad puris secretionem necessaria est supprimitur, quin potius mouendum; maturandum et ex vulnere eliminandum est. Opus itaque est medicamentis, quae pus corrigant, non supprimant nec nimium moueant.

Non

Non raro etiam accidit, vt pus ex vulnere efferendum retineatur, venis reſorbeatur, reliquis corporis humoribus admiſceatur, lentaeque febris periculum minetur. Omnia autem quae vulneratas partes irritant, pus ab exitu prohibent, eius reſorbtionis cauſſae remotae eſſe poſſunt; v. c. ſi reprimentia et adſtringentia adhibeantur, vulnus non purgetur, pus non efferatur, medicamenta frigida imponantur, animus vulnerati perturbetur, cibi potusque intemperantia corpus irritetur.

Fere nullum ſclopetarium vulnus a gangraena plane liberum exiſtimandum eſt, cum cruſta illa vulnus obtegens gangraena ſuperficialis eſſe ſoleat. Saepenumero autem gangraena maiorem vulneris partem, totumque interdum membrum occupat, quae fomentationibus irritantibus, aromaticis interdum inhiberi poteſt: an etiam electricitatis leuori gradu? His vero etiam adhibitis ſaepe increſcendo ſerpit gangraena. Incidendae ſunt igitur vsque ad partem ſanam partes emortuae. Ea autem gangraenae ſpecies, quae vehementioris inflammationis ſequela eſt, remotis irritamentis et ſi inflammatio adhucdum viget, methodo antiphogiſtica inhibeatur. Si vero gangraena conſtitit, medens eo habeat curam, vt quod viuum eſt a mortuo ſeparetur. Praeter haec et vires reſtaurentur, humoresque putridi emendantur: Valerianae, acidi Vitrioli et Chinae vſus a Medicis hic commendatur niſi perdurante ſtatu inflammatorio vel ſordibus primarum viarum contraindicentur.

Sanguinis profuſio ex maioribus vel ex minoribus arteriis et venis interdum magnum parat periculum. Quodſi non ſponte ſiſtitur, ſupprimi debet. Arteria ſi non tota praeciſa, ſed aliqua parte inciſa eſt, ſanguinis profuſio, non facile ſupprimitur, niſi arteria tota diſſecta ſit. Ex vaſis minoribus ſanguinis fluxus facile conquieſcit. Si vas vulneratum glande premitur, antequam haec eiiciatur, faſcia tortilis trunco vaſis admoueri debet, ne ſanguinis profuſio glandis extractionem impediat. Tutiſſimum autem auxilium, ſi magna cum vehementia ex aliqua arteria ſanguis ruit, eſt arteriae ligatura. Corporis et animi quies et calefacientium abſtinentia optima, niſi magnum laeſum ſit vas, ſunt prophilactica. Conſilium eſt

Cli. Bellii vt venaesectio instituatur vel hirudines statim applicentur, quando aeger in membro vulnerato pulsationem caloremque sentit.

Alia sanguinis profusio ea est, quae tarde post hebdomades non nullas ex homorum dissolutione oritur, cui roborantia et antiseptica opponi possunt.

Symptomatibus saepe vulnerati vexantur spasmodicis, varia ex caussa profluentibus, quae ad normas clinicas curari debent.

§. IV.

Vitae genus.

Vitae genus ab aegroto obseruandum febri, suppurationi, corporis habitui, aetati accommodari debet. Magnam praeprimis obseruationem aër desiderat, qui vulnera praeprimis in nosocomiis male habet. Hisce in locis cautela est nunquam spernenda, aperiendis fenestris, deflagrato puluere pyrio atque nitro, aerem renovare, corrigere. Quae vero ad victus rationem attinent, ea quidem sint constitutioni nunc praedominanti ac aegroti consuetudini accommodata: durante inflammatione acetosa et vegetabilia commendantur. Ingruente autem magna suppuratione, siue vehementi sanguinis profluuio, diaeta paulo valentior conuenit. Abstinendum porro quantum fieri potest ab omnibus animi commotionibus, curis ac meditationibus. Medens denique Chirurgus curat, vt amicali solatio vulnerati tristitiam mitiget.

Vulneris sclopetarii faciei inflicti descriptio.

Homo 30 annorum glande ex minori sclopeto (Flinte) missa faciem percussus, stupore affectus humi prostratus est. Cum accederem vehementi narium haemorrhagia vexatum fuisse vulneratum statim

ſtatim intellexi, pulſum paruum celerem inueni, reſpirationem autem aequalem et debilem: leuibus etiam conuulſionibus brachium ſiniſtrum commouebatur. Cerebri commotiones, congeſtiones locales in baſi cranii adeſſe ſuſpicatus ſum. Sanguinis euacuationis locales neceſſarias eſſe cenſui, quae etiam, cum oſſium fragmenta ex naſo deſumere connatus eſſem, ſtatim conſecutae ſunt. Sanguinis quantitate ſufficiente emiſſa, aegrotus ad ſe rediit; Epithemate frigido caput inuolui; quo facto vulneris indolem indagaui. Glans oſſis zygomatici corpus penetrauerat, orbitae margine inferiore fracto, bulboque oculi forte etiam laeſo: per Antrum deinde Highmori ſiniſtrum, nariumque cauitatem obliqua directione ad latus dextrum perrexerat; ſinus maxillaris ſiniſtri partem ſuperiorem legerat, et prope dextri auris tragum exierat. Laeſa ergo fuerant os zygomaticum os maxillare ſuperius, conchae mediae, lamina perpendicularis oſſis ethmoidei, vomer, apophyſis perpendicularis oſſis palatini, proceſſus pterygoidei, os ſphenoideum et proceſſus condiloideus oſſis maxillaris inferioris: praeter haec vulnerata erat membrana Schneideriana, muſculus maſſeter, plures muſculi minores, neruorum vaſorumque ramificationes multae. Oſſium fragmenta multa detexi, quae autem cum vulnus latius diduceretur eiecta ſunt. Praeter haec etiam thrombus valentius inſidebat. Proceſſus maxillaris oſſis zygomatici autem, licet ſede dimotus eſſet, tamen adeo firmiter inhaerebat, vt eum extrahere non potuerim: in priorem ſitum ergo vnde digreſſus erat, eum repoſui. Sanguinis profuſio oſſium extractione producta modica erat, nec aegroti vires

 inde

inde fractae ſunt. Vulnus nunc linteis carptis expletum eſt, partes praetera puluere pyrio combuſtas ſimplici cerato obtegi et omnia faſciis aqua acetoſa humectatis inuolui curaui. Pulſus eleuabatur, et vulneratus nunc paululum recreatus, potionem petiit. Mixturam dedi ex Nitro et oxymelle ſimplici. Proximo die pulſus durior et facies tumida erat. Aegrotus ſibi conſcius, ſe oculo ſiniſtro vti haud poſſe conquerebatur petebatque vt voce altiori eum alloquerer, cum ſiniſtra aure nihil, dextra autem paululum ſolummodo audire poſſit. Eiusdem vero diei tempore vespertino facies nariumque membranae adeo tumefactae erant, vt ſolummodo per os reſpirare valeret aegrotus. Nunc epithemata praeſcripſi ex Chamomillae floribus althaeaeque radice lacte coctis. In vulneris aperturam ſuperiorem mixtionem ex melle, oleo et decocto chamomillae infundi curaui, quae autem per nares retro effluxit. Ob alui obſtructionem clysmata poni iuſſi. Tertio denique die faciei tumor magis magisque auctus erat, ita vt oculi occluderentur; ad collum vsque nunc pergit intumeſcentia et aegrotus non niſi cum ſumma difficultate deglutire potuit. Iuſſi igitur Linimentum volatile inungi. Sub veſperam quartae diei vulneris margines in ſuppurationem vergere videbantur. In temperantium vſu pergebatur; qua methodo tumor minuebatur, et deglutitio non adeo difficilis erat. Maxilla autem inferior per duas hebdomades duarum linearum ſpatio ſolum a ſuperiori dimoueri poterat, nutrimenta ergo omnia ſub forma fluida aſſumenda erant vulnerato. Septimo die haemorrhagia oborta eſt narium, quam expletione narium et vulneris ex linteis carptis

aceto

aceto imbutis inhibere tentaui, fruſtraneo tamen connatu, cum ſanguis per nares poſteriores eadem cum violentia effunderetur. Cum in deſperato hoc caſu acidum vitrioli absque effectu adhibitum eſſet, narium aperturas poſteriores bono quidem cum ſucceſſu occluſi. Pulſationem tamen aegrotus intra vulnus et narium aperturas cum perciperet, quae congeſtiones ad caput indicare videbantur, epithemata frigida iterum capiti admoueri, caput erigi et aegrotum ab omnibus animi commotionibus abſtineri iuſſi. Aeger ſibi conſcius erat, pulſum autem debiliorem inueni, ob ſanguinis praegreſſam profuſionem. Quarto die poſt haemorrhagiam faſciam ſolui, et leuem ſuppurationem animaduerti. Decimo autem ſexto die absque vlla manifeſta cauſſa ſpasmus oritur maxillae inferioris. Opium ſufficienti doſi aſſumtum incaſſum propinatum eſt, ſic et epithemata hyoſciami fruſtra adhibebantur. Cum autem binas vulneris aperturas accuratius inquirerem cauſſam detexi: in latere nempe dextro fragmentum oſſeum maxillae exfoliatum animaduerti, quod maſſeterem irritabat, ſpasmique cauſſa erat. Eo igitur extracto aeger maxillam breui temporis ſpatio mouere potuit. Pus male olens iniectiones ex Decocto Chinae cum liquamine myrrhae requirebat, quibus mox in melius mutatum eſt vulnus; quarta denique hebdomade canalis vulneris ſclopetarii adeo anguſtus erat, vt quae inciciebantur per nares haud amplius effluerent. Iniectionum nunc vſum miſi ita bono euentu, vt quinta hebdomade dextra vulneris apertura cicatricem indueret, nonnullos dies poſt et ſiniſtra. Sexta denique hebdomade aegrotus in integrum reſtitutus eſt.